



**Francisci Monacelli Eugubini J. U. D. Protonotarii
Apostolici, olim Ecclesiae Venusinae, ac deinde Aesinatis
Vicarii Generalis, &c. Formularium Legale Practicum Fori
Ecclesiastici**

In Quo Formulæ Expeditionum usufrequentium de his, quæ pertinent ad
Officium Judicis nobile, continentur ; Opus Episcopis, Vicariis Generalibus,
Aliisque Iurisdictionem quasi Episcopalem exercentibus: necnon
Confessariis, Parochis, Cancellariis, cæterisque in dicto Foro versantibus,
apprimè utile ...

In qua præter formulas Declaratoriarum Censurarum, ponuntur aliæ
formulæ, tum Citationum, ac Monitionum pro validitate processuum
requisitarum, tum Decretorum, aliorumve actuum ad opportunitatem, &
ornatum materiæ incidentium; acceditque in calce Appendix miscellanea,
plura, ad Gubernium ...

Monacellus, Franciscus

Venetiis, 1709

Denunciationis Form. XXXII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62433)

- | | |
|--|---|
| <p>18 Canonici Regulares, possunt exercere officium Vicarii generalis, ubi eorum Superiores habent jurisdictionem in populum.</p> <p>19 Lacerantes, vel amoventes Cedulones, excommunicationem incurrunt, & ab Inquisitore S. Officii puniri possunt.</p> <p>20 Regulares amoventes, vel lacerantes Cedulones, ab Episcopo publicatos, excommunicationem in eis contra hoc attentantes comminatum incurrunt.</p> <p>21 Censura comminata cum addito, eo ipso, ipso facto, ipso jure, secuto actu prohibito, statim ligat</p> | <p>22 Pœna positivæ, sive mixtæ, an, & quando ligent, & incurrantur absque Judicis declaratoria, & n. 23.</p> <p>24 Vicarius generalis Episcopi Suffraganei, si monitus ad comparandum coram Archiepiscopo non compareat, vel compareat per Procuratorem, quomodo cum eo sit agendum ostenditur.</p> <p>25 Vicarius Archiepiscopi, non potest construere processum contra Vicarium Suffraganei, præsentem Archiepiscopo in Provincia: at si construeret, ac pronunciareret validè ageret.</p> |
|--|---|

Denunciationis

FORMULA XXXII.

HIC auctoritate ordinaria denunciatur, & declaratur excommunicatus excommunicatione majori nobis reservata N. Vicarius, & officialis Generalis N. Episcopi nostri Suffraganei, ex eo quia appellationem infra legitimum tempus ab ejus Decreto appellabili ab N. ad nostrum Tribunal interpositam, noluit admittere, & non obstante nostra inhibitione ad ulteriora processit damnabili præsumptione: ut igitur ab omnibus evitetur præsentem in locis publicis Civitatis publicari jussimus, & anathema erit, donec nostræ jurisdictioni, & parti læsæ plenariè satisfecerit, & a Nobis absolvi meruerit. Amoventes autem, lacerantes, vel deturpantes hos Cedulones, etiamsi Regulares sint, pœnam excommunicationis eo ipso incurrant. Datum &c.

N. Archiepiscopus N.

Loco ✠ Sigilli.

N. Actuarius.

VEL

CON autorità ordinaria si denuncia, e dichiara scomunicato di scomunica maggiore à noi riservata N. Vicario, & Officiale generale di Monsignor Vescovo N. nostro suffraganeo, perche non ha voluto ammettere l'appellazione interposta nel termine legale da un suo Decreto definitivo appellabile da N. appellante al nostro Tribunale; anzi non ostante la nostra inhibitione, hà eseguito con dannabile disprezzo della giurisdizione Metropolitana il suo Decreto: onde acciocche da tutti sia evitato habbiamo ordinato che siano affissi, e publicati i presenti Cedoloni: e vogliamo che sia segregato dal consortio de fedeli fin tanto c'haverà alla nostra lesa giurisdictione-

tione sodisfatto, & alla parte. Che poi havrà ardire di rimuovere, lacerare, e sporcare i presenti Cedoloni, ancorche fosse Regolare, sia in pena ipso facto Scommunicato &c.

N. Arcivescovo N.

Luogo ✠ del Sigillo.

N. Attuario.

ADNOTATIONES.

- 1** *Juris ordine servato lato*. Hoc exprimitur hic in formula ad denotandum, quod appellatio debet admitti à Decreto, in quo fuit adhibita causæ cognitio ad utrumque effectum, etiam si agatur de re de sui natura non appellabili, ut sunt Decreta Visitationis, prout disponunt Decreta generalia *Clem. VIII.* quæ referuntur à Quarant. in *Sum. bullar. verb. Archiepiscopus post num. 20.* si enim coram Vicario Suffraganei, actum esset de causa visitationis, vel correctionis morum sine partis citatione, & nulla adhibita causæ cognitione, tunc appellatio non esset admittenda, nec concedenda inhibitiō saltem quo ad suspensivum, ut respondit *Sac. Cong. Conc. in Causa Regni Sardiniae 15. Maii 1700. ad primum* quam retulit *p. 2. tit. 15. ad form. 2. num. 8.* & in qua aliæ plures dantur ad dubia proposita responsiones, ex quibus instruitur Archiepiscopus, quomodo in praxi se gerere debeat, tam in admittendis subditorum Suffraganeorum appellationibus, quam in concedendis inhibitionibus. Est autem regula, quod in causis in quibus Episcopus potius ut Pater, & Pastor, quam ut Judex procedit, appellatio non admittitur, & tunc intrat dispositio *Concil. Trid. de ref. sess. 24. cap. 10.* ubi verò procedit uti Judex cum cognitione causæ, vel excedit modum in corrigendo, admittitur appellatio, & tenetur appellationi deferre, aliàs punitur ut habetur expressum in *c. de priore ubi glos. & DD. de appellat. Navar. consl. 1. n. 3. de appellat.*
- 4** *Ac Monitione*. Monitio, seu citatio ad comparendum exequenda adversus Vicarium suffraganei, debet esse personalis, ut illum arctet, & faciat contu-

macem: at quia, ut plurimum in his casibus citandus latitat, & non permittit, vel impedit se personaliter citari, ideo Archiepiscopus debet committere explicite suo Decreto, ut Vicarius suffraganei, si est reperibilis, citetur personaliter, sin minus ad valvas. Quare si constructo processu, sit relaxanda contra Vicarium suffraganei monitio; in Decreto relaxationis dicatur - *Citetur, & moneatur per Nuncium, Vicarius Generalis N. personaliter, quatenus sit reperibilis, sin minus ad Domum solitæ habitationis dimissa copia, vel ad Valvas Ecclesie Cathedralis N. ad comparendum coram Nobis in termino dierum, & dicendum, & allegandum &c. & Nuncius referat &c.*

Data enim hac commissione, & habita relatione Nuncii de diligentis factis pro exequenda monitione personali, & citandum reperire non potuisset, & de executione facta Domi dimissa copia, vel ad valvas Ecclesie Cathedralis loci, prout habuit in mandatis valide erit citatus, cum standum sit relationi Nuncii, ut tradunt *Genuen. & Ricc.* quos allegavi supra ad *Formul. 1. §. legitime exequuta*, quibus nunc addo *Gratian. discept. 60. n. 1. 2. & 3. Pac. Jord. elucub. tom. 3. lib. 14. tit. 1. n. 17. 84. & 89. Alciat. de presumpt. reg. 3. presumpt. 14. n. 1. 2. & 3. advertendo, quod si Nuncius aliquid aliud referret, v. g. citatum dixisse nolle comparere, vel verba injuriosa protulisse, non est illi super hoc deferendum, quia non pertinet ad suum officium, Pac. Jord. *ibid. n. 17.* Sayr. *de censur. lib. 1. c. 9. n. 3. vers. si citatus*: si autem illum personaliter citasset in Ecclesia, citatio valida esset *Barb. in c. cum parati n. 3. de appellat. Raynald. obser. crimin. tom. 1. cap. 1. §. 11. num. 51. & 54.* Si vero ad locum citandū*

nota

non detur tutus accessus, erit servanda praxis, quam tradidi in *d. Form. 1. d. §. legitime exequuta.*

7 In officio, & exercitio jurisdictionis graviter deliquisse. Per hanc clausulæ expressionem datur intelligi, quod Archiepiscopus non solum potest Vicarium suffraganei censura punire in casu figurato in Formula, super quo non cadit dubium; sed etiam in aliis pluribus in quibus abutitur jurisdictione & officio in damnum, & gravamen subditorum, prout colligitur ex *d. cap. 1. de offic. Vicar. in 6. ibique glos. in verb. rationabili causa, & hanc sententiam docent Genuen. in prax. c. mibi 91. nu. 2. Quarant. in Summ. Bullar. verb. Archiepiscopi auctoritas n. 11. Ric. prax. rer. for. Eccles. par. 3. resol. 22. n. 7. & 8. Gratian. discip. 169. nu. 14. Guazzin. Jun. ad defens. anim. lib. 2. defen. 1. cap. 7. n. 19. qui concorditer firmant, quod si Vicarius suffraganei v. g. privilegia Apostolica non servet, Sententias per gratiam, vel Sordes, aut censuras proferat sine scriptis: & alia similia in exercitio jurisdictionis committat, & delinquat, possit ad querelam subditorum suffraganei, Archiepiscopus in eum animadvertere etiam in prima instantia Pignatell. consult. 32. ubi refert Decretum Sac. Congreg. Concilii in Tarentina 15. Febr. 1642. tom. 1. & hos sequitur Passerin. in d. c. 1. de offic. Vic. n. 4. his verbis. Hujusmodi verò causæ plures recenseri possunt. Ut si Vicarius Episcopi non servet privilegia Sedis Apostolicæ, vel si sententiam proferat per pecuniam, aut gratiam aut per Sordes. Vel si aliquem excommunicet sine scriptis, Vel si impediatur causam appellationis delatam ad Archiepiscopum, Vel in pluribus aliis casibus; Quomodocunque enim delinquat in officio suo; Archiepiscopus est Superior, qui corrigere potest, & si opus est, potest Officiale suffraganei excommunicare.*

8 Et licet Lotter. de re benef. lib. 1. quæst. 22. nu. 100. sustinere nitatur, quod Metropolitanus non possit procedere, nec puniri Vicarium suffraganei delinquentem in officio, nisi quando delinquit offendendo jurisdictionem Metropolitanam, veluti si noluit deferre appellationi ad eum legitime interpositæ, vel illius in-

hibitionem sprevit, (ut in casu Formulæ) non autem si delinquat in officio alio modo, quia tunc, ut ipse ait, Judex fit proprius Episcopus: & Loterium sequatur Barbol. de offic. & potest. Episc. alleg. 54. n. 183. vers. quando Vicarius, Ventrigl. prax. par. 1. annot. 49. n. 36

Et demum alii distinguant, quod si Vicarius suffraganei in officio delinquat citra culpam Episcopi, Archiepiscopus non possit se immiscere, sed ad Episcopum pertineat de delicto Vicarii in officio commissio cognoscere, eumque punire: si verò delinquat, & Episcopus delicti, sed culpæ sit particeps ut quia Vicarium imperitum constituit, aut negligentes, sciens toleravit, tunc non ad Episcopum, sed ad Archiepiscopum pertineat causam cognoscere, quia tali casu si ipse Episcopus judicaret, & de causa cognosceret, simul fungeretur officio partis, & in propria causa judicaret, cum ut supponitur ejusdem culpe in aliquo modo fuerit particeps, & tunc teneatur de facto sui Vicarii usque ad refectionem damnorum, prout sunt Pirhing. in jus can. lib. 1. tit. 28. de offic. Vicar. n. 65. 66. & 67. & alii ab eo allegati Pac. Jord. tom. 2. lib. 12. tit. 1. n. 282. & seqq.

Adhuc mihi videtur, quod prima sententia absque ulla distinctione sit verior, & tenenda tanquam magis consona textui in citato *cap. 1. de offic. Vicar. in 6.* & cohærens glos. quæ illius verum sensum rimavit: & eam absolute sequitur Zecch. de Repub. Eccles. de Vic. Episc. c. 23. ver. 4. n. 4. & quæ dem, cum in textu dicatur cum Remensis Archiepiscopus in Officialem alicujus suffraganei sui excommunicationis Sententiam ex aliqua rationabili causa profert &c. dictio illa aliqua, quæ est universalis, debet verificari in pluribus, nec potest restringi sine violentia litteræ secundum sententiam Lotterii ad solum casum offensionis jurisdictionis Archiepiscopi, si enim hæc opinio vera esset, nulla tribueretur ex hoc textu jurisdictionis Archiepiscopo in Vicarios Suffraganeorum, cum turbantes illius jurisdictionem possint alio jure puniri, ut de communi Sperell. dec. 160. n. 35. quod tamen dici non debet.

Neque apud me vim facit distinctio 11
Pir-

Pirhing. Vicarii delinquentis in officio sciente Episcopo: a Vicario delinquentem citra culpam Episcopi. Quia cum Confistorium Episcopi, & Vicarii unum, & idem sit *cap. 2. de consuet. in 6.* & Episcopus dicatur facere, quod ejus Vicarius facit, ut ait *glos. in cap. 1. ver. per Episcopos de Cappell. Monac. in 6.* Barbof. *vot. decis. lib. 2. vot. 56. n. 68.* ratione affectionis, unionis, & interesse, Episcopus est Judex suspectus, & in utroque casu in propria causa quodammodo judicare diceretur. Experientia enim docuit, quod Episcopi, etsi participes non sint delictorum in officio commissorum a Vicario: tamen ne videantur Vicarium imperitum, vel improbum tolerasse, & sibi coaptasse, delicta abscondere, vel saltem minorare procurant, adeo ut fautores, & proprii honoris defensores potius, quam Judices censendi sint.

12 Sicuti turbata quoque diceretur jurisdictione Archiepiscopi; quando Episcopus Suffraganeus, vel ejus Vicarius Edicto, aut lege prohiberet, ne in diocesi exequi non debeant, nec possint, ordinationes & provisiones quæcunque Metropolitanæ sine sua expressa licentia, nam tale Edictum improbavit *S. Congr. Epif. in Vulturarien. 13. Maii 1603.*

13 Quid autem dicendum, si Vicarius Episcopi Suffraganei esset Clericus Regularis, an inquam posset Archiepiscopus in casibus supra expressis in eum animadvertere; & cum distinctione videtur respondendum; Si Vicarius ex aliquo ordine Regularium retinetur de licentia Sac. Congregationis, poterit illum punire: quia tali casu Superior, qui est Papa per organum Congregationis tacite consentit, quod Regularis exemptus, qui est sibi immediate subjectus, subjiciatur Episcopo, & per consequens Archiepiscopo, prout de jure, in his, quæ pertinent ad officium, & exercitium jurisdictionis, & cesset privilegium exemptionis, adeo ut de dolo, seu negligentia in susceptæ administrationis officio commissis, prout juris erit valeat puniri, ad *text. in cap. de privileg. in 6. Clem. 1. de testam.* ac etiam ipse Episcopus, qui de facto Vicarii tenetur usque ad refectionem damnorum parti illato-

rum condemnari, nisi sit omnis culpæ expers *Piafec. prax. par. 2. c. 3. art. 1. n. 16.* & alii mox allegati.

Si verò ab Episcopo Suffraganeo, Vicarius Regularis retineatur de licentia sui Superioris tantum, & tunc si appellationem ad Archiepiscopum interpositam in casu appellabili non admittit, vel inhibitionem ejusdem contempsit, poterit coerceri, & puniri, non tamquam Archiepiscopo subjectus, sed tamquam turbator jurisdictionis, ut admittit *Passerin. de stat. bon. tom. 3. qu. 189. art. 10. nu. 1017.* At si alio modo in officio delinqueret, v. g. per favorem, vel Sordes Sententias proferendo, poterit quidem tam Episcopo quam Archiepiscopo ad querelam subditorum contra eum inquirere, & processum construere, non tamen eum punire: sed esset pro punitione ad Superiorem Regularem remittendus: & ratio ea est, quia suscipiendo etiam de licentia sui Prælati Officium Vicariatus, non potuit sine licentia Sedis Apostolicæ se subicere, (in eo delinquendo) alienæ jurisdictioni, & privilegio exemptionis renunciare, nec quidem in una causa particulari, in alium jurisdictionem prorogare, ut fusè de more probat *Passer. loco mox cit. n. 753.*

Admonendi sunt igitur Episcopi, ne Vicarium suscipiant Regularem, (nisi sint in partibus infidelium) sine licentia S. Congreg. quam tamen non solet concedere nisi raro, & in locis ubi penuria sit Clericorum Secularium habilium, & Episcopus sit pauper, & Jurista: tum quia non decet Regularibus extrà Claustra manere, tum quia Regulares in facultate legali, & canonum (quæ necessaria est in judicando) ut plurimum, non sunt versati, tum demum quia judices esse non possunt, *c. de 17 presentium, & c. Monachi 16. q. 1. ubi glos. & DD. Paris. de resig. lib. 9. q. 4. n. 14.* ideoque ad hoc officium deputari, & assumi non debent, maxime si sint ordinis mendicantium, *Clem. 1. §. ad prioratus de regular. Nicol. in flos. verb. Vic. Gen. n. 34. & lucubr. can. lib. 1. tit. 28. n. 4. ver. nec Monachus, Pac. Jor. elucub. to. 2. lib. 12. tit. 1. n. 108. Pirhing. in jus can. lt. 1. tit. 28. n. 31. vers. sed neq; Clericus conjugatus in fin. quapropter nonnullis Episcopis, qui Vicario Regulari ute-*

ban-

bantur eadem Congregatio injunxit, ut de Vicario non regulari providerent, nempe *Asculano* in Piceno 15. Jan. 1597. *Motulensi* 8. Maii 1615. & *Epetii* sive *Spalatri* in Dalmatia 12. Aprilis 1619.

18 Canonici autem Regulares, & Monachi permittuntur, ut possint exercere hoc officium in locis ubi eorum Superiores, & Abbates habent jurisdictionem quasi Episcopalem Pac. Jord. loco citato n. 109. Nicol. d. n. 34. vers. vel nisi sit Abbas; expedit tamen etiam Abbatibus jurisdictionem in populum exercentibus pro bono regimine, uti operam Clericorum saecularium J. U. D.

10 *Amoventes, lacerantes, &c.* quia timendum est, quod Cedulones affixi in Civitate vel Dioecesi Suffraganei contra Vicarium, clanculum amoveantur, vel lacerentur, additur in Formula hae clausula ad reprimendam audaciam hoc attentare volentium. Etenim, qui Cedulones excommunicationis lacerant, aut deturpant graviter peccant, quia videntur de auctoritate Episcoporum male sentire, Censuras contemnere, atque irridere, & ignominiam Ecclesiae irrogare, & ideo non solum ab Episcopo censuras fulminant, sed etiam tanquam de haeresi suspecti à Tribuni S. Officii puniri possunt, ut tradunt Cherubin. in *Compend. Bullar. ad Constit. 56. Pii IV. Schol. 1. Caren. de Sanct. offic. par. 2. tit. 17. §. 2. uy. 7.* & sic incidunt in excommunicationem hic comminatum Ricc. *prax. rer. form. Eccles. par. 4. resol. 23. num. 1. & seqq.* & declaravit S. Congr. Episcop. in una *Cusentina* inter Delegatum Abbatis S. Joan. de Flore, & Curiam Archiepiscopalem die 8. Decembris 1699. proponent Em. Card. de Carpineo.

20 *Etiamsi Regulares sint.* Licet Regulares sint exempti à jurisdictione Episcopi, & non comprehendantur in ejus Edictis, hic tamen ratione offensae jurisdictionis possunt puniri, etiam censuris: unde si aliquis regularis amoveret, aut laceraret Cedulones, incurreret excommunicationem contra amoventes, & lacerantes fulminatam, praesertim (prout hic) quando nominatim exprimuntur, ut sine difficultate admittit Do-

nat. *de regular. tom. 1. par. 2. tract. 13. de exempt. religios. quæst. 29. per tot.* qui est testis contra regulares omni exceptione major.

Eo ipso. Quoties censura comminatur cum addito *eo ipso, ipso facto, ipso jure*, secuto actu prohibito, statim ligat, & afficit animam, absque alio ministerio Judicis, seu sententia declaratoria criminis, quæ necessaria non est, Amostaz. *de caus. piis lib. 21. cap. 9. num. 70.* Ventrigl. in *prax. par. 1. annot. 5. §. 1. num. 41.* quid quid sit in aliis pœnis positivis, & mixtis, v. g. privationis, officii inhabilitatis, caducitatis, &c. in quibus, quia nemo tenetur sponte se prodere, nec se infamare, aut suis bonis privare, secundum sententiam plurimorum, pœna non incurrit ipso jure, saltem in foro conscientiae, sed requiritur, quod Judex pronunciet, crimen fuisse commissum, & dicitur declaratoria facti, de qua quæstione Ventrigl. ubi supra num. 42. Donat. *prax. rer. regular. tom. 1. par. 2. tract. 4. de violat. c. i. sur. quæst. 27. per tot.* & latè Passerin. *de elect. cap. 25. quæst. 51. à numer. 624. cum seqq.* & melius explicabitur in tit. de Suspension.

Veruntamen etiam in his pœnis nulla requiritur sententia declaratoria facti, quando non exigunt aliquem actum Judicis, sicuti sunt pœnae illae, quibus quis incapax efficitur alicujus actus, vel incapax alicujus rei, vel quando non per modum pœnae, sed conditionis, & formae essent appositae, prout sunt illae, quae leguntur, & exprimuntur in Decreto Clementis VIII. pro Regularibus ordinandis, per extensum dato par. 1. in *Appendice pag. 294.* ut benè distinguendo firmat Graff. *decis. aur. par. 1. lib. 2. cap. 11. numer. 53. 54. 56. & 57.* tunc inquam, si incapax ingeritur, vel alius modum, & conditionem non adimplet, pœna in foro conscientiae suum effectum sortitur absque alio actu Judicis, ut Graff. probat.

Porrò Vicarius Suffraganei, si ab Archiepiscopo monitus compareret per se ipsum, vel per legitimum Procuratorem, esset audiendus, & si exceptiones relevantes deduceret, cur non debet excommunicari, a fulminatione censura-

surarum abstinendum est, donec excusationum subsistentia recognita, ab impio crimine sufficienter se purget. Si autem delictum fateatur, & veniam petat, tunc recepta ejus confessione, & exculpatione scripto facienda, & in Cancellaria repouenda: ac facta per eum saltem per Epistolam expressione obsequiorem erga Archiepiscopum, tam nomine proprio, quàm Episcopi, admitti debet ad veniam, dummodò non sit recidivus. Si verò à comminatione censurarum, legitime appellat, appellatio admittenda est, ut alibi supra dixi, cum præfixione termini ad illam prosequendam.

25 Et est advertendum, quod sicuti Vicarius Generalis Archiepiscopi nullam habet potestatem, aut jurisdictionem in Suffraganeos ob eminentiam officii Episcopalis, nec in aliquem Sententiam interdicti, Suspensionis, aut excommunicationis proferre, quando Archiepiscopus est in Provincia *c. r. §. Officiales de offic. judic. ord. in 6.* ita nec in Vicarios Suffraganeorum generales jurisdictionem exercere potest præsentente Archiepiscopo,

Pirhing in jus can. lib. 1. tit. 28. n. 66. §. Porro. Et propterea Archiepiscopus, ad evitandam quæstionem processus nullitatis, debet ipsemet contra Vicarios generales Suffraganeorum, processus instruere, & acta subscribere, quando est in Provincia, vel non longè distans, ut habetur in *d. cap. 1. de offic. ord. in 6.* licet de juris rigore sententia lata in Suffraganeum, vel in ejus Vicarium, à Vicario Generali Archiepiscopi in ejus præsentia, sit valida, ut tenet cum *glos. in verb. attentent. Passerin. in d. cap. 1. n. 31.*

De excommunicatione ferenda contenta in c. Monasteria de vit. & honest. clerici.

Frequentissima est inspectio, quæ cadit super intelligentia hujus cap. quia passim transgreditur: ideoque hic aliqua pro illius observantia in praxi notanda sunt, & ubicumque utendum erit censura ad removenda scandala poterit Episcopus ad declaratoriam modo sequenti devenire.

Sententiæ Declaratoriæ.

F O R M U L A XXXIII

Visa relatione, & instantia Promotoris Fiscalis, & informatione judicialiter capta, ex qua constat *N. laicum frequentare Collocutorium Monasterii Monialium N. contra prohibitionem expressam nostri Edicti, & monitionem specialiter factam, visa monitione ad comparandum, & dicendum causam quare &c. legitime exequuta, & nihil quod illum excusare possit deducto, ad removenda scandala, & ad tuendam clausuram d. Monasterii, dicimus, & pronunciamus d. N. esse excommunicandum, prout nos vigore præsentium excommunicamus, & excommunicatum declaramus: Cedulones contra eum decernimus, & publicari mandamus, omni &c.*

N. Episcopus, (sive Vic. Gen.) N.

N. Actuaris.

SITUS